Quelle: http://manuscripta.at/?ID=42092
Copyright: Bozen/Bolzano, Museumsverein (Depot im Stadtmuseum)

Preceptum enim ibi mulieri uidue. ut pascat te. Surrexit. et
abiit in sarepta. Cumque uenisset ad portam ciuitatis. apparuit
ei mulier uidua colligens ligna. Et uocauit eam. dixitque ei.
Da mihi paululum aque in uase ut bibam. Cumque illa perge
ret ut afferret. clamauit post tergum eius dicens. Affer mihi obse
ro et buccellam panis. in manu tua. Que respondit. Vi
uit dominus deus tuus quia non habeo panem. nisi pugillum capere quantum
potest farine in ydria. et paululum olei in lechito. Ecce colligo
duo ligna. ut ingrediar et faciam illud mihi et filio meo. ut
comedamus et moriamur. Ad quam helias ait. Noli timere.
sed uade et fac sicut dixisti. Verumtamen mihi primum fac de ipsa
farinula subcinericium panem paruulum. et affer ad me. Tibi
autem et filio tuo. facies postea. Hec autem dicit dominus deus israel.
Ydria farine non deficiet. nec lecythus olei minuetur. usque
ad diem in qua dabitur deus pluuiam super faciem terre.
Que abiit. et fecit iuxta uerbum helie. Et comedit ipse et illa.
et domus eius tota. Et ex illa die. ydria farine non defecit.
nec lechithus olei non est imminutus. iuxta uerbum domini. quod locutus
est in manu helyee. Ge. Iacta cogitatum tuum. Secundum matheum.
Illo tempore. Locutus est ihesus ad turbas. et ad discipulos suos di
cens. Super cathedram moysi. sederunt scribe et pharisei. Om
nia ergo quecumque dixerint uobis seruare et facite. secundum opera
eorum nolite facere. Dicunt enim. et non faciunt. Alligant
enim onera grauia et importabilia. et imponunt in humeros
hominum. digito autem suo nolunt ea mouere. Omnia uero
opera sua faciunt. ut uideantur abhominibus. Dilatant enim
phylacteria sua. et magnificant fimbrias. Amant autem pri